

Češka, Josef; Hošek, Radislav

Tituli sacri

In: Češka, Josef; Hošek, Radislav. *Inscriptiones Pannoniae Superioris : in Slovacia Transdanubiana asservatae*. Vyd. 1. Brno: Universitas Purkynianae Brunensis, 1967, pp. [23]-63

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/119915>

Access Date: 16. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

TITULI SACRI

5. TITULUS DEDICATORIUS IN CIPPO

Cippus calcarius (*a.*: 0,87; *l.*: 0,44; *cr.*: 0,25) titulum litteris bene visibilibus (*a.*: 0,06) incisum continens.

Ubi repertus sit, sub iudice manet, nam duo loca — quamvis inter se propinqua — originis eius in Hungaria laudantur: Neszmély (Alapi), Dunaalmás (Barkóczii). Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2842 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33642) deposita est.

Post a. 174.

Vidimus; Gy. Alapi, *KJE* 1, 1913, p. 49; V. Ondrouch, *LR* 45, n. 26; L. Barkóczii, *Brig.* 60, n. 186; *PIR²* n. 1516.

Tituli transcriptio:

- (1) *Nymphis*
- (2) *sacrum*
- (3) *L(ucius) Aurelius*
- (4) *Gallus*
- (5) *leg(atus) Aug(usti).*

Uter L. Aurelius Gallus — sive consul a. 174 (Deglassi 927; *PIR²* n. 1516) an consul a. 198 (Deglassi 951; *PIR²* n. 1517) — cippum cum titulo faciendum curaverit, incertum est. Titulum ad iuniorem, cum a. 202—205 legatus Moesiae Inferioris esset, pertinere putat Barkóczii (*Brig.* 30) et eum cum titulo CIL III 4423 comparat, quem quamvis Carnuntina in regione repertum, pro salute C. Iulii Superi procuratoris provinciae Siciliae Iulia Aristina liberta Nymphis voverat (cf. et A. Mócsy, *Pannonia* 733, 52). Attamen titulum Carnuntinum Aristina Carnunti vivens aut morans vovit — procuratore Siciliae minime praesente —, cum titulum Comarnensem L. Aurelius Gallus ipse vovisset. Num sacrarium Nymphaenum, verisimiliter cum balneo coniunctum, tam notum fuit, quod legatus alterius provinciae, licet Nymphaenum cultu opulentissimae, qualis Moesia erat, visitare cuperet? Atque ideo praferenda est opinio editoris *PIR²* n. 1516, qui L. Aurelius Gallus consulem a. 174 auctorem tituli dicit. Tempus, quo L. Aurelius Gallus munere legati Augusti in Pannonia Superiori fungebatur, annis 175 (i. e. primo anno post consulatum) et 177 (i. e. ultimo anno ante legationem Quintili Maximi) determinandum est; ignoratur enim, quis post annum 174 et ante annum 178 provinciae Pannoniae Superiori praefuerit (cf. W. Reidinger, *Die Statthalter des ungeteilten Pannonien und Oberpannoniens*, p. 86—89).



Cippus cum titulo dedicatorio n. 5

6. TITULUS VOTIVUS IN ARA

In fragmento arae calcariae (*a.*: 0,47; *l.*: 0,25; *cr.*: 0,22) tabella (*a.*: 0,34; *l.*: 0,25) litteras (*a.*: 0,05) tituli votivi continet.

Ubi reperta sit, licet ignoretur, tamē eam Brigetione ortam esse pro certo habere debemus, ea enim sententia Mócsyi ducti Iovem Optimum Maximum Brigetione et Aquinci tantum persaepe cultum esse (A. Mócsy, *Pannonia* 729, 60). Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2800 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33644) deposita est.

Saec. II-III.

Vidimus; V. Ondrouch, *LR* 43, n. 20; L. Barkóczi, *Brig.* 58, n. 141.


Varia lectio:

- (2) Ondrouch et Barkóczi *AVI* in ligatura scriptum non videntes *Octavus* falso legebant.
- (4) Abbreviaturam munus centurionis significantem ignorans Ondrouch male legit: *Vale|ns leg(atu)s*.

Tituli transcriptio:

- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo)*
- (2) *C(aius) Octavi-*
- (3) *us Vale-*
- (4) *ns 3 (= centurio) leg(ionis)*
- (5) *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).*

C. Octavius Valens centurio legionis I Adiutricis fuisse ex eo videtur, quod ara Iovi Optimo Maximo Brigetione dedicata esse dicitur et quod legio I Adiutrix ibidem ab anno 114 stativa sua habebat (A. Mócsy, *Pannonia* 616, 10). Si enim Valens in alia legione stipendia fecisset, numerum legionis suae in titulo Brigetione inscripto omittere non potuisset. Barkóczi (*Brig.* 44) in dubiis esse videtur, cui aetati titulum attribuat. Iovis Optimus Maximus cultus saecula II et III testatur, sed utrum praferendum sit, cognoscere nequimus.



Fragmentum arac cum titulo n. 6

7. TITULUS DEDICATORIUS IN ARA

Ara calcaria (*a.*: 0,87; *l.*: 0,51; *cr.*: 0,41) tabellam (*a.*: 0,48; *l.*: 0,40) continet cum inscriptione dedicatoria, cuius litterae et altitudine (v. 1: 0,068; v. 2: 0,06; vv. 3—5: 0,042; vv. 6—7: 0,03) et latitudine (v. 1: litt. O = 0,06; M = 0,075 et 0,085; v. 2: 0,045; vv. 3—5: 0,025—0,04; vv. 6—7: 0,015—0,03; M = 0,028 et 0,038) inter se differunt.

Reperta Brigetione (Szőny, cf. CIL III 10979), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2781 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33608) deposita est.

Ante a. 200.

Vidimus; CIL III 10979; V. Ondrouch, *LR* 44, n. 22 (qui CIL III 10979 ignorans delineationem tantum a Milchio, *KME* 12, 1906, p. 71, publici iuris factam admonet); L. Barkócz, *Brig.* 57, n. 129.

Varia lectio:

- (4) *Claud(ius) male supplevit Ondrouch.*

Tituli transcriptio:

- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo)*
- (2) *sacr(um)*
- (3) *L(ucius) Albucius*
- (4) *Claud(ia tribu)*
- (5) *Albucianus*
- (6) *Miseno 7 (= centurio) leg(ionis) I*
- [7] *Ad(iutricis) P(iae) F(idelis).*

„Fortasse ex origine Albuci concludi potest militem classiarium ad centurionatum legionis esse promotum, ut habes evocatum ex classariis CIL X 3417 et centurionem CIL VIII 1322“ (CIL III 10979). Dedicatio Iovi Optimo Maximo ad Brigetionem pertinet (cf. A. Mócsy, *Pannonia* 729, 62).

Formam aerae pertractans titulum annis 110—125 addixit Barkócz (Brig. 42). Legio I Adiutrix Pia Fidelis ab initio principatus Hadriani (cf. Ritterling, *Legio* 1392), fortasse iam paulo post a. 114 (A. Mócsy, *Pannonia* 616,10), Brigetione sedebat. Terminum ante quem laudata tribus indicat, nam a. 212 — constitutione Antoniniana facta — discriptio civium Romanorum in tribus pristinum valorem habere destituit. Litterarum formae saeculum II. exiens testari videntur.



Titulus dedicatorius n. 7 in ara

8. TITULUS DEDICATORIUS IN ARA

Ara calcaria (*a.*: 0,46; *l.*: 0,18; *cr.*: 0,13) tabellam (*a.*: 0,195; *l.*: 0,5) continet cum titulo, cuius omnes litterae 0,035 altae sunt.

Reperta in loco Hungariae Tömörpuszta (cf. CIL III 10963), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2811 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33612) deposita est.

Ante a. 200 (?)

Vidimus; CIL III 10963; V. Ondrouch, *LR* 47, n. 33; L. Barkócezi, *Brig.* 61, n. 211; L. Vidman, *Studia antiqua Salac* p. 133 = *AÉp.* 1958, n. 312; M. J. Vermaseren, *CIMRM*, II, n. 1737.



Titulus dedicatorius n. 8 in ara

Varia lectio:

- (1—2) *Tras|ito CIL, Barkóczi, Vidman, Vermaseren; IRAS|PIO Ondrouch.*
 (1) *IRAS* in lapide certissime legimus.
 (2) lectio *ILO* praferenda est lectioni *ITO*; lectio *PIO* reicienda est.

Tituli transcriptio:

- (1) *IRAS*
 (2) *ILO = Iras|ilo (?)*

Domaszewski (CIL), qui inscriptionem descripsit, *TRASITO* in lapide insculptum videbat et nomen illud cum nomine cuiusdam dei Pannionorum *Trunositō* (CIL III 4444 = 11092) coniungebat. Quid litterae tituli significant aut cui deorum ara devota sit, sub iudice est. Ex his, qui *Trasito* legunt, Vidman eandem huius nominis radicem ac in nominibus *Trasia*, *Trasius* reperiendam esse putat, Vermasereno autem transitus Mithrae in mentem venit. Sed lectio *Trasito* non recta — ut iam diximus — esse videtur. Etiam in lectione *Irasilo* nomen cuiusdam deorum Pannionorum, qui ab aetate Severiana publice colebantur (cf. A. Mócsy, *Pannonia* 564,27), conspicere debemus (cf. fluminis nomen *Hierasus*: Ptolem. *Geogr.* 3,8,2).

Qua sit aetate inscriptio insculpta, difficillimum est dicere (cf. L. Barkóczi, *Brig.* 44). Si in versu 2. litteram secundam pro littera L habemus, huius litterae forma finem saeculi II. testari potest (cf. R. Cagnat, *Cours*,⁴ tab. XIV, im. 1).

9. TITULUS DEDICATORIUS IN ARA

Ara calcaria (*a.*: 0,355; *l.*: 0,37; *cr.*: 0,35) parte superiore inferioreque mutilata tabellam (*a.*: 0,255; *l.*: 0,37) continet cum titulo, cuius litterae 0,03 altae, latae sunt in v. 2: 0,02—0,045, in ceteris autem lineis 0,02—0,03. Spatium 0,013 singulis lineis interpositum est.

Reperta in silva prope Ács in Hungaria (CIL III 10993) in loco nunc Hungarice Bum-bum-kút appellato, ubi quondam castellum Romanum Ad mures fuisse Barkóczi (*Brig.* 59, n. 162) commemorat. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2802 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33618) deposita est.

Ca a. 200.

Vidimus; CIL III 10993; Á. Milch, *KME* 12, 1906, p. 74 (cum imagine); V. Ondrouch, *LR* 47, n. 31; L. Barkóczi, *Brig.* 59, n. 162.

Varia lectio:

- (1) Totus versus extra tabellam situs esse cernitur.
 (2) Ondrouch Milchium secutus *E(t?)* pro *ET* in ligatura legit.



Titulus dedicatorius n. 9 in ara fragmentaria

- (4) *RVFLANIQE* (*AN* in ligatura) lapisida in *RVFINIANI* correxit.
AEL in ligatura: *RVPINI AEI* falso Milch.
- (5) Primam lectionem *MOGET* lapisida in *MMOGET* correxit; *dec(urionis)*
m(unicipii) *M(arcus)* et male Ondrouch.
- (6) *AEL* in ligatura.

Tituli transcriptio:

- (1) [*I(ovi) O(ptimo) M(aximo)*]
- (2) *et Iunoni reg(inae)*
- (3) *pro salute*
- (4) *Ael(ii) Rufiniani*
- (5) *dec(urionis) m(unicipii) Moget(ianae)*
- (6) *Ael(ius) Rufinus.*

Municipium Aelium Mogentiana ab imperatore Hadriano conditum esse
A. Mócsy, *Pannonia* 599,20, commemorat et Flussii explicationes (PWRE
XV 2418 sq. s. v. *Mogetiana*) falsas esse demonstrat.

Decurionem et Ilvirum quinquennalem Aelium Rufinianum, Aelii Rufini
patrem et Aeliae . . . maritum, cuius nomen in titulo CIL III 11043 legitur,
eundem ac in titulo CIL III 10993 commemoratum esse monent editores (CIL
III 10993 et 11043). Nostra autem inscriptione Aelius Rufinus in vulgus non
protulit, quem ad modum cum Aelio Rufiniano sanguine coniunctus esset.

Aetati Severiana circa a. 200 titulum addixit L. Barkócz, *Brig.* 43.

10. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Ara calcaria (*a.*: 0,92; *l.*: 0,45; *cr.*: 0,36) tabellam (*a.*: 0,48; *l.*: 0,32) cum inscriptione votiva continet. Litterae versuum 1—8 in tabella extantum 0,035, litterae ultimi versus extra tabellam siti 0,05 altae sunt.

Reperta est Brigetione (Szőny, cf. CIL III 11009), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2780 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33610) deposita est.

Ca a. 200.

Vidimus; CIL III 11009; Dessau *ILS* 3955; Á. Milch, *KME* 12, 1906, p. 73; V. Ondrouch, *LR* 47, n. 32; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 327; L. Barkóczsi, *Brig.* 60, n. 189; P. Veyne, *Latomus* 23, 1964, p. 30—32; *AÉp.* 1964, n. 190.

Varia lectio:

- (1—2) *Terr(ae) Matr(i) et M(emoriae) Priscill(a)e* CIL III 11009, alii; *Terr(am) Matrem Priscill(a)e* Ondrouch; *ET* in ligatura; *L(....) Priscill(a)e* Salač, qui ligaturam *LP* conspiciebat; *m(inistrae)* Veyne.
- (3) *OB COD—MEM* falso Milch.
- (8) *VSLM* CIL, alii; *VLLM* lapis.

Tituli transcriptio:

- (1) *Terr(ae) Matr(i)*
- (2) *et m(inistrae?) Priscill(a)e*
- (3) *ob commen-*
- (4) *datam et*
- (5) *restitu-*
- (6) *tam fidem*
- (7) *Ael(ius) Strato-*
- (8) *nicus v(otum) l(aetus) l(ibens) m(erito)*
- (9) *Brigeti(one).*

Petronii locum (*Sat.* 117,3: *nummos in praesentem usum deum matrem pro fide sua reddituram*) P. Veyne laudans, titulum donum votivum esse explicat, quod Aelius Stratonicus — verisimiliter mercator quidam — pro pecunia dedicavit, quam templo Terrae Matris commendaverat et post aliquod tempus receperat. Recepta pecunia laetus Aelius Stratonicus — ut Veynus videtur — in titulo non solum nomen deae, sed et ministrae eius Priscillae incidentum esse curavit. Est autem et alia — ut putamus — explicatio, qua Aelius Stratonicus votum antea susceptum, cum pecuniam ipse a templo commendavisset et postea restituissest, id est templo reddidisset, solverit. Si rationem tituli certissime cognoscere volumus, necesse est, ut nova exempla similia, praecipue ea, quae ad m. *Priscillam* (cur non P. m.? — cf. CIL IX 3146 = 5354) pertinent, afferantur. Licet titulus omnibus locis non sit adhuc legentibus clarus, Veynus explicatio sagacissima — titulum ad rationem fiscalem pertinere — fundamentum firmum, unde explicationes futurae exorsurae sint, manebit.

Litterarum formae ad saeculi II. et III. confinium pertinere videntur (cf. A. E. Gordon, *Album III*, tab. 130).



Titulus votivus n. 10 in era

11. FRAGMENTUM TABULAE VOTIVAE CUM TITULO

Media pars tabulae calcariae (summae *a.*: 0,163; *l.*: 0,295; *cr.*: 0,102) litteras tituli votivi (*a.*: 0,035; *l.*: M = 0,03—0,06) lineis 0,01 a se distantibus incisas continet.

Fragmentum Celamantiae (nunc Leányvár apud Comarnum) a Baltassare Valášek a. 1953 exaratum et collectioni privatae Desiderii Tomeček Leopoldopolitani insertum benevolentia possidentis, qui et ipse titulum recte legit, videre potuimus. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33641) deposita est. Titulus nunc primum publici juris factus.

A. 198—209.

Vidimus.

Notabilia lectionis:

Titulus ligaturis abundat: (2) *salut(e)* (Α Β̄)

(3) *Augg.* (ΑΓΓ), *Ulp.* (ΥΠ)

(4) *Marcus* (ΜΡ). *ret.* (Ε̄)



Fragmentum tabulae votivae cum titulo n. 11

Tituli transcriptio:

- (1) [I(ovi) O(ptimo)] M(aximo)
- (2) pro salut(e)
- (3) Aug(ustorum) M(arcus) Ulp(ius)
- (4) Marcus(?) vet(eranus) l(egionis)
- (5) [I Ad(iutricis) ex] vot[o].

Veterani cognomen, quod idem ac praenomen eius esse videtur, nos quidem versum 4 legentes in dubium vocat, quamquam praenomina cognominum vi praedita in inscriptionibus saepius apparent.

Titulum veteranus legionis I. Aduitricis, quam Severis fidelissimam fuisse constat (Ritterling, *Legio* 1398,20), tempore — ut ex ligaturis apparet — Severiano pro salute Augustorum duorum dedicandum curavit. Quoniam in Pannoniis praecipue a. 202, ut J. Fitz (*AArchHung.* 11, 1959, p. 237—263) perlucide demonstrat, multae aerae pro salute Septimii Severi et Caracallae dedicatae sunt, saeculum III. iniens, antequam a. 209 et Geta Augustus factus est, ei praeferimus tempori, quo Septimio Severo iam mortuo a. 211—212 Caracalla cum Geta imperium tenebat.

12. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Ara calcaria (a.: 1,16; l.: 0,55 /pars infima et abacus/, 0,44 /pars media/; cr.: 0,49 /pars infima et abacus/, 0,37 /pars media/) tabulam continens (a.: 0,54; l.: 0,44) cum titulo, cuius omnibus litteris (a.: 0,045—0,048 /vv. 1—7/, 0,036—0,04 /v. 8/) colorem rubrum ignotus quidam ita induxit, ut hodie alia lectio — nisi quae colore oleario rubro pieta — sperari non possit. Ne illo litterarum colore fallamur, titulum ectypo sumpto nixi perlegere — parvo successu — conati sumus.


Reperta est ara a. 1873 in civitate Bratislava, via Dunajská 144, in horto olim Šuboričii, qui eam sibi ex ignoto hodie loco (CIL III 3668), fortasse Carnunto (cf. J. Dobiáš, *OP* 1, 1922, p. 70), apportari iussit. Unde in curiam veterem civitatis Bratislavensis transvecta, ubi et hodie, cum curiae aedificium in Museum urbis Bratislavensis mutatum est, asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33613: ara; P-33632: titulus; P-33627: titulus cum ectypo) depositae sunt.

A. 209—211.

Vidimus; CIL III 3668; Th. Mommsen, *Eph. ep.* 2, 1875, n. 722; J. H. Mordtmann, *Zeitschrift der Deutschen Morgenländischen Gesellschaft*, 29, 1875, p. 106, adn. 1; H. Dessau, *ILS* 4349; Th. Ortvay, *Geschichte der Stadt Pressburg* I, p. 40; J. Kurucz, *RN* 19; V. Ondrouch, *LR* 37, n. 4; A. Salač, *AO* 24, 1956, p. 564—567; idem, *Carnuntina*, p. 168—170; *AÉp.* 1936, n. 113; 1958,



Ara cum titulo votivo n. 12



Titulus votivus n. 12 colore oleario rubro infectus



Titulus votivus n. 12 cum ectypo sumpto luce factus

n. 220 (ubi errore = Dessau 3668); 1959, n. 21; J. Fitz, *AArchHung.* 11, 1959, p. 248, adn. 83; Z. Kádár, *Die Kulte* 84. — Cf. et Cichorius, *PWRE* IV 315, s. v. *Cohors*; A. Mócsy, *Pannonia* 623, 19.

Varia lectio:

- (1) *PATRIBVS* male Ortay, Kurucz; *patriis* Mordtmann; *PATRIS* alii.
- (1—2) *MA|NALPHO* CIL III 3668, alii; *MA|NAPHO* Mordtmann, cuius lectionem Salač approbavit; cf. et Fitz. *MA* et *NA* (*Manapho*) in ligaturis.
- (2) *ETEAN* male Kurucz; *ET* in ligatura.
- (4) Lectioni *DDD NNN* litterae ad tertium Augustum spectantes erasae, sed superioris partis tertiae litterae *N* vestigia usque hodie visibilia permanent. *DD NN* CIL III 3668, alii; *DD[.] NN[N]* lapis.
- (5) *CLAVD VORINS* male Ortay, Kurucz, attamen *Claudius Victorinus* bene legit Ortay; *NVS* (*Victorinus*) in ligatura.
- (6) *D NA.SRO* CIL III 3668; *DCNPRG* Kurucz; *D* Canprag. Mommsen, Dessau; (*quingenariae*) *Ma[ur(orum)]* Cichorius, Mócsy; *D(omus)* *CANPR(e)G* Ortay; *quinquagenariae* *Canpr(a)g(enariae)* Ondrouch; (*quingenariae*) *Can(athenorum)* Salač; (*quinq[ue] genariae*) Fitz. — *Coh. D* = *cohors quingenaria* (Mommsen, Dessau; cf. Curt. 5, 2, 3) aut *quingentaria* (Cagnat, *Cours*,⁴ p. 473; cf. Veget. *mil.* 2, 6), i.e. 500 milites habens.
- (7) *DCI MAXIM. .SĀN* CIL III 3668; *ET CL MAXNVS FIL* Kurucz; *ET, MV* (*Maximus*) in ligaturis.
- (8) *CAM* CIL III 3668, *CAN* alii; *Can(athenus?)* Mordtmann, Dessau, Ondrouch; *Can(athis)* Salač, *Can(athis?)* Fitz.

Tituli transcriptio:

- (1) *Dis patri(i)s Ma-*
- (2) *napho et Thean-*
- (3) *drio pro sal(ute)*
- (4) *dd[[d]]. nn[n].* (= *dominorum nostrorum trium*)
- (5) *Cl(audius) Victorinus*
- (6) *eq(ues) coh(ortis) D* (= *quingenariae*) *Canprg.* (?)
- (7) *et Cl(audius) Maximus fil(ius)*
- (8) *dom(o) Can() v(otum) s(olverunt) l(aeti) l(ibentes).*

Manaphum et Theandrium deos apud Arabes ante Mahumeti adventum cultos esse A. Salač (ll. cc.) docet.

Ara pro salute Augustorum trium, i. e. Septimi Severi, Caracallae, Getae, annis 209—211 una regnantium, dedicata est. Getae qualibet in forma mentio post mortem eius a. 212 e titulis vulgo erasa est (cf. CIL VIII 2557 = Dessau, ILS 2354). Fitzio itaque, qui cum aliis editoribus rasuram in versu quarto neglegens aram annis 205—208 dedicatam esse putat, assentiri non possumus.




Stela cum titulo votivo n. 13

13. TITULUS VOTIVUS IN STELA

Stela votiva calcaria — nonnullis locis suppleta — (*a.*: 1,60; *l.*: 0,80) superiore parte (*cr.*: 0,12) anaglyphum Iovis Dolicheni in tergo tauri stantis, inferiore parte (*cr.*: 0,18) tabellam votivam cum margine, aliquantum in lapide depressam (*a.*: 0,20; *l.*: 0,455) continet. Altitudo litterarum est 0,03.

Reperta est Brigetione (Szőny, cf. Láng, Barkócz), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2793 (non in Museo Budapestinensi, ut falso Merlat) asservatur. Imagines photographicae in phototheca Instituti archaeologici Nitrientis (P-33605 stela, P-33640 titulus) depositae sunt.



Titulus votivus n. 13

Post a. 200.

Vidimus; Á. Milch, *KME* 1900, p. 31; Gy. Alapi, *KJE* 2, 1914, p. 122 sqq.; J. Dobiáš, *Musée belge* 26, 1922, p. 119, et *Syria* 6, 1925, p. 263; *AÉp.* 1923, n. 58; V. Ondrouch, *LR* 44, n. 25; F. Láng, *Laureae Aquincenses* II, p. 169; L. Barkócz, *Brig.* 61, n. 209; P. Merlat, *Répertoire*, p. 83, n. 83; A. Mócsy, *Pannonia* 710 et 738 sq.; Z. Kádár, *Die Kulte* 44.

Varia lectio:

- (3) Pro Seleu(ciae) Zeugm(a)e, ut editores, legendum est Seleu(cia) (abl.!) Zeugm(a)e. Titus Domitius origine Syrus, natus, ut apparet, Seleuciae Zeugmae, decurio sine dubio Brigetione erat. — *TE* in ligatura (*salute*).
- (4) suae et Milch, Ondrouch, Barkócz, sed in lapide ligatura loco

iniquo, i. e. SVÆT, a quadratario imposita legitur. Recte transcripterunt Dobiáš, Láng, Merlat.

Tituli transcriptio:

- (1) *I(oui) O(ptimo) M(aximo) D(olicheno)*
- (2) *Domitius Titus dec(urio)*
- (3) *Seleu(cia) Zeugm(a)e pro salute*
- (4) *sua et suorum om(nium) v(otum) s(olvit) l(aetus) l(ibens) m(erito).*

Stelam saeculo III. addixit Láng (l. c.), sed Iovem Optimum Maximum Dolichenum verisimiliter iam a temporibus Hadriani imperatoris Brigetione cultum esse docet P. Merlat, *Jupiter Dolichenus*, p. 135. Litterae tituli ad saeculum III. iniens pertinere videntur.

14. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Ara calcaria (a.: 0,32; l.: 0,17 /summae aerae/, 0,13 /mediae aerae/, 0,175 /infimae aerae/; cr.: 0,15 /summae aerae/, 0,13 /mediae aerae/, 0,14 /infimae aerae/) titulum continet votivum, cuius versus 2—5 in tabella (a.: 0,12; l.: 0,13), 1 et 6 extra tabellam leguntur. Litterae tituli in singulis versibus altitudine inter se differunt (v. 1: 0,018; v. 2: 0,02; v. 3—6: 0,025).

Reperta est Brigetione (Szőny, cf. CIL III 11002), nunc in Museo Slovaco Nationali Bratislavensi s. n. R-67 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33803) deposita est.

Post a. 200.

Vidimus; CIL III 11002; V. Ondrouch, *LR* 46, n. 30; L. Barkócz, *Brig.* 59, n. 173a.

Varia lectio:

- (4—5) *VS VET · LEG | I · AD · PR SE* incorrecte Ondrouch; *VS. VET · LEG | I · AD · PR · SE* recte CIL III 11002.

Tituli transcriptio:

- (1) *Silvano*
- (2) *domest(ico)*
- (3) *Iul(ius) Fuscin-*
- (4) *us vet(eranus) leg(ionis)*
- (5) *I Ad(iutricis) pr(o) se*
- (6) *et pr(o) su(is) v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).*

Formam aerae pertractans aram et titulum saeculo III. ineunti addixit Barkócz, *Brig.* 30.



Titulus votivus n. 14 in ara

15. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Ara calcaria (*a.*: 0,70; *l.*: infima parte 0,388, media 0,298; *cr.*: infima parte 0,34, media 0,26) tabellam (*a.*: 0,35; *l.*: 0,298) continet cum inscriptione votiva, cuius in singulis versibus litterae altitudine inter se differunt (v. 1 et 5: 0,035—0,038; v. 2 et 3: 0,035; v. 4 et 6—9: 0,038—0,04). Versus 1—8 in tabella, v. 9 extra tabellam leguntur.

Reperta est Brigetione (Szőny, cf. CIL III 4298), nunc in Museo Slovaco Nationali Bratislavensi s. n. R-68 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33804) deposita est.

Post a. 200.

Vidimus; CIL III 4298; Á. Milch, *KME* 12, 1906, p. 72 (cum delineatione); V. Ondrouch, *LR* 45, n. 28; L. Barkóczi, *Brig.* 60, n. 195. Cf. et A. Mócsy, *Pannonia* 731, 28 et 610, 50.

Varia lectio:

Milchii delineatio multa errata continens minime ad rem valet.

(9) *V·S·L·M* legit Ondrouch, recte *VSLM* (interpunctione omissa).

Tituli transcriptio:

- (1) *Mercurio*
- (2) *sacrum*
- (3) *ex viso. M(arcus) V-*
- (4) *al(erius) Marinus*
- (5) *vet(eranus) leg(ionis) I Ad(iutricis)*
- (6) *P(iae) F(idelis) ex sign(ifero)*
- (7) *dec(urio) Bri(getione) qui*
- (8) *magistrat*
- (9) *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).*

Aram M. Valerius Marinus, canabarum magister, Mercurio mercatorum deo dedicasse videtur (cf. A. Mócsy l.c.). Marinum nomen Syriacum esse (Mari = domine) docet J. Dobiáš, *Sborník Bidlo*, p. 22 sq.

Formas litterarum pertractans titulum saeculo III. ineunti addixit Barkóczi, *Brig.* 43.



Titulus votivus n. 15 in ara

16. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Fragmentum aerae calcariae (*a.*: 0,49; *l.*: 0,30; *cr.*: 0,23) tabellam dedicatoriam (*a.*: 0,31; *l.*: 0,30) cum titulo votivo continet. Tituli litterae altitudine impares (*v.* 3: 0,05; *v.* 4—5: 0,055; *v.* 6: 0,05) facile leguntur.

Aram L. Bulacsek agricola, qui in Celamantiae vicino vico Iža non multum a Comarnensium civitate remoto vivebat, olim tenebat (CIL III 10995). Barkóczi autem putat aram quondam Brigetione exstisisse, unde tempore ignoto trans Danubium transportata esset. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2803 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33645) deposita est.

Post a. 200.

Vidimus; CIL III 10995; J. Tóth-Kurucz, KME 12, 1906, p. 63; J. Kurucz, RN 44; Á. Milch, KME 12, 1906, p. 70 (cum apographo); A. Stein, Karpathenland 4, 1931, p. 102; V. Ondrouch, LR 39, n. 8; L. Barkócz, Brig. 59, n. 163.

Varia lectio:

- (1) Dedicatio *IOM* supplenda est. Cf. titulum n. 9, ubi *IOM* cum Iunone Regina exstabat Quae coniunctio deorum aram Brigetione ortam esse demonstrat.
- (3) Litteras *RO* (cf. CIL III 10995) pro *RE* a lapicida male insculptas esse putabat Stein. *RG* legit Tóth-Kurucz, qui et supplevit: *R(e)-G(inae)*; *R* non vidit Milch; *R(eginae?)* legit Ondrouch, *r[e]g* Barkócz; *REG* lapis.
- (5-6) *TH* et *NI* (*Agathonicus*) in ligaturis.

Tituli transcriptio:

- (1) [I(ovi) O(ptimo) M(aximo)]
- (2) e[t Iuno]-
- (3) ni reg(inae)
- (4) P(ublius) Ael(ius)
- (5) Agatho-
- (6) nicus v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).

De nomine donatoris Aelii titulum saeculo II. incisum esse putat Barkócz, Brig. 44. Sed forma minor litterae O, quae in versu 5 occurrit, initium saeculi III. indicare videtur (cf. et Barkócz, Brig. 43).



Titulus votivus n. 16 in ara fragmentaria

17. FRAGMENTUM ARAE CUM TITULO VOTIVO

Fragmentum aerae calcariae (*a.*: 0,31; *l.*: 0,39; *cr.*: 0,13—0,255) tabellam cum litteris profundiorum et tribus marginibus circumdatam (*a.*: 0,10; *l.*: 0,23) continet.

Reperta esse Brigetione (Szőny) Barkóczio videtur. Nunc in Musco Danubiano Comarnensi s. n. II-5470 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33646) deposita est.

Post a. 200 (?)

Vidimus; J. Tóth-Kurucz, *KME* 14, 1908, p. 52; V. Ondrouch, *LR* 44, n. 23; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 326 (qui lapsu calami hunc titulum in *AÉp.*



Fragmentum aerae cum titulo votivo n. 17

1923 s. n. 58 iuris publici factum esse scrispsit, sed *AÉp.* 1923, n. 58, titulum 13. editionis nostrae continet); L. Barkóczí, *Brig.* 63, n. 258.

Varia lectio:

- (c. g. 8) *V* editores,
- (c. g. 9) *SOL* editores.

Tituli transcriptio:

- (c. g. 8) *v(otum)*
- (c. g. 9) *solv[it].*

18. TITULI DEDICATORII FRAGMENTUM

In tabella calcaria (a.: 0,39; l.: 0,41; cr.: 0,85) ab omni parte mutilata trium versuum tituli pars reliqua restat.

Litterae aetatis Severianaæ (a.: 0,07; in v. 2. litterae I 0,035).

Repertam apud Azaum (Almásfüzitő in Hungaria) Froehlich descripsit atque supplevit (cf. CIL III 13434). Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-5471 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33643) deposita est.

A. 200—220.

Vidimus; CIL III 13434; Gy. Alapi, *KJE* 1, 1913, p. 48; V. Ondrouch, *LR* 45, n. 27; L. Barkóczí, *Brig.* 57, n. 128.

Varia lectio:


- (2) Praenomen *P(ublius)* supplerunt CIL III 13434, Barkóczí.
- (3) *PRAE [f. alae I Batavorum]* supplerunt CIL III 13434, Barkóczí; *prae[positus?]* Ondrouch.

Tituli transcriptio:

- (1) *[I(ovi)] O(ptimo) [M(aximo)]*
- (2) *[.] Publiliu[s]*
- (3) *prae[f.]*

Lateres litteris *ALB* signati in vico Almásfüzitő inveniuntur ibique alam quandam habitavisse testantur. Quae si ala I Flavia Augusta Britannica, ut putat J. Szilágyi (*Arch. Ért. ser.* III, vol. 3, 1942, p. 178) fuerit, et nostrum titulum simili modo suppleri posse monet Barkóczí, *Brig.* 57.

Titulum primae parti sacculi I. Barkóczí (*Brig.* 42) addixit, sed litterarum formae (cf. LI, R) cum annis 200—220 ortum esse demonstrant (cf. et n. 32 editionis nostrae).



Fragmentum tituli dedicatori n. 18

19. TITULUS DEDICATORIUS IN TABULA CALCARIA

Lapis calcarius (*a.*: 0,048; *l.*: 1,05; *cr.*: 0,265) in duo fragmenta fractus tabulam profundiorem cum margine continet. In tabula, quae est in lapide aliquantum depressa, litterae (*a.*: 0,052 — exceptis litteris O et E in voce *monte.*, quae 0,045 (O) et 0,02 (E) altae sunt) tituli dedicatori leguntur.

Ubi lapis repertus sit, ignoratur (cf. CIL III 4354, Ondrouch, LR 36, n. 2). Barkóczí lapidem Brigetione quondam exstisset putat. Utrumque fragmentum collegit Ondrouch (LR 44, n. 24), qui et fragmentum in CIL III 4354 iam editum (cf. Alapi, Salač, Barkóczí) denuo s. n. 2 editionis suae (p. 36) edendum curavit. Erratum suum ipse autem cognovit et in fine libri (p. 153) correxit. Ondrouchii sententiis consentit Barkóczí (Brig. 58, n. 138).

Utraque pars lapidis in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2810 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33614) deposita est.



Titulus dedicatorius n. 19

A. 200—235.

Vidimus; CIL III 4354 (?); Gy. Alapi, *KJE* 1, 1913, p. 48; V. Ondrouch, *LR* 44, n. 24; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 326; L. Barkócz, *Brig.* 58, n. 138. Cf. et J. Kurucz, *RN* 27.

Varia lectio:

Prima pars tituli in CIL III 4354 tam male edita est, ut in dubiis simus, an ad nostrum titulum pertineat necne.

Alteram partem male edidit Kurucz.

- (1) Dedicationem *IOM* ignotus quidam littera *D* male insculpta inepte supplevit. *D* editores omiserunt.
- (2) *imp(eratoris)* Ondrouch, *imp(erii)* Salač, „quod in titulo nomen imperatoris deest“; *imp.* Barkócz.
- (3) *COL MONITI* male legit Ondrouch, qui et supplevit: *col(oni) moniti*; *col(legium) mont(anorum)* Barkócz; in lapide littera *E* minore forma adscripta *MONTE* legendum esse indicat.
- (4) *REST*¹ male Alapi, Ondrouch; *RES* in lapide.

Tituli transcriptio:

- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo) {D(olicheno)}*
- (2) *pro sal(ute) imp(erii)*

- (3) *col(legium) monte(nsium)*
 (4) *ex suo res(tituit).*

Litterarum formae aetatem Severianam indicant. Barkóczí (*Brig.* 47) titulum saeculo III. medio addixit. Dolicheni mentio — quam si acceperimus — nihil ad rem valet, nam *IOMD* verisimiliter iam a temporibus Hadriani imperatoris Brigetione colebatur (cf. P. Merlat, *Jupiter Dolichenus*, p. 135).

20. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Fragmentum aerae, in duas partes fractum (*a.:* 0,20; *l.:* 0,185; *cr.:* 0,215), litteras (*a.:* 0,04) tituli votivi, a dextra, suprema infimaque parte abrupti, continet.

Ubi repertum sit, ignoratur. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2834 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-26491) deposita est.

A. 222—229.

Vidimus; V. Ondrouch, *LR* 46, n. 29.

Varia lectio:

- (e. g. 5) *M(arcus) Aur(elius) Ondrouch.*
 (e. g. 6) *ex voto Ondrouch.*
 (e. g. 7) *imp. du. Ondrouch.*

Tituli transcriptio:


- (1—e. g. 3) (vacant)

 (e. g. 4) (e. g. 7) [e. g. *Ati*]-
 . . .

- (e. g. 5) *li Aur[elian(us)]*
 (e. g. 6) *ex voto p[osuit]*
 (e. g. 7) *imp(eratore) d(omin)o n(ostro) A[lex(andro)]*
 (e. g. 8) [*consule*]

Ad formam nominis videas: CIL III 4147 (*Venusti Valerianus*) et 4311 (*Luci Antisti Bellicus*). Ad versus e.g. 7—8 cf. CIL III 4147 et 10997 (*Alexandro consule*), CIL III 11042 (*Antonino consule*).

Litterarum formae ad aetatem Severianam pertinere videntur. Imp. Severus Alexander consul erat annis 222, 226, 229 (Degraassi, p. 63 sq.).



Titulus votivus n. 20 in ara fragmentaria

21. TITULUS VOTIVUS IN TABULA

Tabula calcaria (*a.*: 0,49; *l.*: 0,81; *cr.*: 0,22) valde mutilata in duo fragmenta (*l.*: 0,35 et 0,46) partis superioris fracta, ex quibus titulum in tabula profundiore (*l.*: 0,545, i. e. 0,22 + 0,325) in sculptum esse apparet. Titulus litteris magnitudine inter se differentibus (*a.*: v. 1: 0,058; v. 2—3: 0,045) et in lineis a se 0,03 distantibus inscriptus est.

Reperta est tabula a. 1908 a Kuruczio in fundo castelli Celamantiae (Leányvár apud Comarnum). Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2801 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33635) deposita est.

Saec. III. med.

Vidimus; J. Tóth-Kurucz, KME 14, 1908, p. 52; J. Dobiáš, *Musée belge* 26, 1922, p. 118; idem, *Sborník Bidlo*, p. 36; *AÉp.* 1929, n. 176; Gy. Vej-



Tabula cum titulo votivo n. 21

dinger, *A keleti vallások emlékei Pannoniában*, p. 35, n. 217; V. Ondrouch, *LR* 48, n. 34; L. Barkóczí, *Brig.* 61, n. 203; Z. Kádár, *Die Kulte* 44.

Varia lectio:

- (2) *VAI* Tóth-Kurucz.
- (4) /// [Ma]rin[i] Dobiáš (*Sborník Bidlo*), quem editores *AÉp.* secuti [Ma]-
rini scripserunt. Nec Ondrouch nec Barkóczí v. 4 legerunt. [*Marini?*] Kádár, [Ma]rin[i] lapis.

Tituli transcriptio:

- (1) *M(agna)e D(eum) M(atr)i*
- (2) *Val[er(ia)] Marina*
- (3) *[pro sa]lute*
- (4) [Ma] rini

Ad cultum Magnae Deum Matris in terris Danubianis cf. Z. Kádár, *Die Kulte* 44. Ad cognomen Marini vide adnotationem s. n. 15 editionis nostrae.

Tempus, quo titulus inscriptus esset, Barkóczí (*Brig.* 44) initio saeculi III. delimitavit. Litterarum formae (cf. Cagnat, *Cours*,⁴ tab. XVII, imag. 2–3) saeculum III. medium indicare videntur.

22. TITULUS DEDICATORIUS IN ARA

Ara calcaria ($a.$: 0,95; $l.$: 0,435; $cr.$: 0,245) tabellam votivam ($a.$: 0,38; $l.$: 0,34) continet cum titulo, cuius litterae valde impares sunt (v. 1—3: $a.$: 0,05; $l.$: 0 = 0,04, M = 0,04—0,065, E = 0,02; v. 4: $a.$: 0,045; $l.$: A = 0,035, M = 0,03—0,05; v. 5: $a.$: 0,035; $l.$: V = 0,03, T = 0,02).

Brigetione ara reperta esse videtur Barkóczio. Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2796 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33611) deposita est.

Saec. III. med.

Vidimus; Á. Milch, *KME* 12, 1906, p. 69 (cum apographo); V. Ondrouch, *LR* 43, n. 18; A. Salač, *LF* 66, 1939, p. 325; J. Dobiáš, *ČČH* 46, 1940, p. 74; L. Barkóczzi, *Brig.* 59, n. 166.

Varia lectio:

- (3) VE (*Minerv(a)e*) in ligatura.
- (4) I pro L (= *Lucius*) falso Milch. *Mac(cius)*, *Mac(rinus)*, *Mac(rinius)* supplevit Salač.
- (5) IX falso Milch, Ondrouch; EX recte Dobiáš, Barkóczzi.

Tituli transcriptio:


- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo)*
- (2) *Iunoni*
- (3) *Minerv(a)e*
- (4) *L(ucius) Mac() Celer*
- (5) *vet(eranus) leg(ionis) I ex b(eneficiario) tr(ibuni).*

Formam lateris abaci, olim artifice depressam, nunc autem valde mutilatam pertractans, aram primae parti saeculi III. addixit Barkóczzi (*Brig.* 43). Literarum formae saeculum III. medium indicare videntur (cf. Cagnat, *Cours*,⁴ tab. XVII, imag. 2—3).

23. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Ara calcaria ($a.$: 0,44; $l.$: 0,245; $cr.$: 0,24) tabellam continet quadratam ($a.$ et $l.$: 0,21) cum titulo votivo (litterarum $a.$: 0,04; $l.$: 0,03; littera O lata est in v. 1: 0,02, in v. 2: 0,04).

Reperta est Brigetione (Szóny, cf. *CIL* III 10980), nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2817 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33607) deposita est.



Ara cum titulo dedicatorio n. 22



Ara cum titulo votivo n. 23

Saec. III. med.

Vidimus; CIL III 10980; V. Ondrouch, *LR* 43, n. 21; L. Barkóczí,
Brig. 58, n. 142.

Varia lectio:

(3—4) Priorem editionem tituli ignorans *AETERNO | FAVORI* (*aeterno
favori*) male legit Ondrouch.

Tituli transcriptio:

- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo)*
- (2) *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito)*
- (3) *Atilius*
- (4) *Favor.*

Litterarum formae saeculum III. medium indicare videntur (cf. Barkócz, *Brig.* 44).

24. TITULUS VOTIVUS IN ARA

Ara calcaria (*a.*: 0,39; *l.*: 0,265; *cr.*: 0,24) tabellam (*a.*: 0,185; *l.*: 0,22) continet cum titulo votivo, cuius litterae altitudine pares (0,035) latitudine inter se differunt (*O* = 0,033, *M* = 0,035—0,055, *L* = 0,015).

Reperta Brigetione (Szőny, cf. CIL III 10985) nunc in Museo Danubiano Comarnensi s. n. II-2878 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33609) deposita est.

Saec. III. med.

Vidimus; CIL III 10985; V. Ondrouch, *LR* 43, n. 19; L. Barkócz, *Brig.* 58, n. 143.

Varia lectio:

- (2—3) Priorem editionem tituli ignorans *LNEME | SSIVS* (= *L. Nemessius*) male legit Ondrouch.
- (3) *VET* in ligatura.

Tituli transcriptio:

- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo)*
- (2) *Iul(ius) Me-*
- (3) *ssius vet(eranus)*
- (4) *v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).*

Iulius Messius, qui in ara Carnunti reperta (CIL III 11111 — saec. III.) legitur, idem ac noster Barkóczio (*Brig.* 44) esse videtur. Barkócz aetatem, qua sit titulus factus, dicere non audet. Litterarum formae, praecipue forma M litterae, saeculum III. medium indicant (cf. Cagnat, *Cours*,⁴ tab. XVII).



Ara cum titulo votivo n. 24

25. TITULUS VOTIVUS IN ARA

In tabella (*a.*: 0,47; *l.*: 0,40) aerae calcariae (*a.*: 0,83; *l.*: 0,495; *cr.*: 0,39) titulus votivus inscriptus est litteris disparibus, nam in versu primo litterae 0,055 (I), 0,045 (O), 0,05 (M), in ceteris autem 0,05 altae sunt; latae sunt litterae primi versus 0,045 (O), 0,07 (M).

Ara in civitate Comarnensi reperta est (CIL III 4293), sed Barkóczí (*Brig.* 58) eam Brigetione ortam esse putat, verisimiliter recte, ut ex dedicatione Iovi Optimo Maximo appareat (ad rem cf. A. Mócsy, *Pannonia* 729,62). Nunc in Museo Danubiano Comarnensi s.n. II-2795 asservatur. Imago photographica in phototheca Instituti archaeologici Nitriensis (P-33606) deposita est.

Post a. 312.

Vidimus; CIL III 4293; Gy. Alapi, *KJE* 1, 1913, p. 47; V. Ondrouch, *LR* 42, n. 16; L. Barkóczí, *Brig.* 58, n. 145.

Varia lectio:


- (3) *ET* in ligatura.
- (6) *vot(o)* editores, *vot[o]* lapis.

Tituli transcriptio:

- (1) *I(ovi) O(ptimo) M(aximo)*
- (2) *pro salute*
- (3) *mea et meorum*
- (4) *ego Domitius*
- (5) *Terentianus*
- (6) *opt(io) p(rimi) p(ili) ex vot[o]*
- (7) *posui l(ibens) m(erito).*

Litterarum formae, praecipue L litterae, tempus dominationis Constantini I. indicant (cf. Barkóczí, *Brig.* 44), quo etiam aerae Iovi Optimo Maximo dedicatae apparere desistunt.

TITULUM VOTIVUM SAECULI VERISIMILITER III.,
 cuius in locum temporibus iam christianis titulus succedit sepulcralis,
SUB NUMERO 43 (A) INVENIES



Ara cum titulo votivo n. 25

